



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

IV. De Euangelio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

#### IV. De Euangelio.

**N**unc ad Euangelium redibimus, quod non vno modo consult & auxiliatur nobis contra peccatum. Deus enim superabundanter diues & liberalis est gratia & bonitate sua, primùm per verbum vocale, quo iubet prædicari remissionem peccatorum in vniuerso mundo. Et hoc est proprium officium Euangelij. Secundò per Baptismum. Tertio per venerandum sacramentum Altaris. Quarto per potestatem clauium, atq; etiam per mutuum colloquium & consolationem fratrum. Matth. 18. Vbi duo aut tres fuerint congregati, &c.

#### V. De Baptismo.

**B**APTISMVS nihil est aliud, quàm Verbum Dei cum mersione in aquam, secundùm ipsius institutionem & mandatum, siue, vt Paulus inquit, lauacrum in verbo, sicut & Augustinus ait: Accedat verbum ad elementum, & fit sacramentum. Quare non sentimus cum Thoma & monachis prædicatoribus seu Dominicanis, qui verbi & institutionis Dei oblitii dicunt, Deum spiritualem virtutem aquæ contulisse & indidisse, quæ peccatum per aquam abluat. Non etiam facimus cum Scoto & Minoritis seu Monachis Franciscanis, qui docent, baptismo ablui peccatum ex assistentia diuinæ voluntatis, & hanc ablutionem fieri tantùm per Dei voluntatem, & minimè per verbum & aquam.

*Ephes. 5.*

DE prædobaptismo docemus, Infantes esse baptizandos. Pertinent enim ad promissam redemptionem per Christum factam. Et Ecclesia debet illis baptismum, & promissionis illius annunciationem.

X 5

VI. De